

CXIV. *De couponibus.*

Cauponum jus est singulis diebus lune purgare necessarium episcopi et granarium, si habere voluerit.

CXV. *De molendinariis.*

Molendinarii et piscatores debent episcopum in aqua vehere quocumque voluerit inter Rust superius et Velleter inferius; quibus thelonarius prebebit naves quocumque fuerint necessarie. Ipsi enim cum remis suis intrabunt et reducent eas ad pomerium episcopi, unde et duxerunt cum expensis ipsius. Dabunt autem piscatores duos viros, molendinarii tertium virum. Si de sua negligentia naves perdiderint, solvent. Si vi fuerint eis ablata, episcopus restituet.

CXVI. *De piscatoribus.*

Piscatores debent piscari ad opus episcopi inter nativitatem sancte Marie et festum sancti Michaelis singulis annis tribus diebus et tribus noctibus,

A cum omnibus suis instrumentis, cum aqua plus fuerit idonea, inter Velleter inferius in Reno et Rust superius; in Alsa usque Ebersheim, in Bruscha usque Mollesheim, in Schutjura usque Merburg, in Kintsika usque Kinzdorff; cum expensis episcopi. Infra terminos hos nullus eos excludere audeat ab aliqua aqua, nisi que sub claustris coarctata est.

CXVII. In Bruscha a vallo superiori civitatis usque ad inferius, juxta sanctum Stephanum, nullus audeat piscari sine licentia episcopi, vel dapiferi sui.

CXVIII. *De carpentariis*

Carpentarii singulis diebus lune debent in opus episcopi ire cum expensis ipsius. Cum summo mane venerint ante palacium, non audeant recedere ante

B sonitum campane, que ad missam mane pulsatur. Si interim non fuerint in opus episcopi assumpti, liberi illa die recedant. Non sunt cogendi ire in alius opus alterius, nisi episcopi.

ANNO DOMINI DCCCXCII

**ADSO**

DERVENSIS IN PARTENSI CAMPANIÆ PAGO COENOBII MONACHUS.

**NOTITIA HISTORICA.**(Apud Oudinum, *Supplementum de Scriptoribus ecclesiasticis*, p. 308.)

Adso monachus divi Benedicti, postea Dervensis abbas factus, circa annum 980, insigni litteratura et in temporalibus œconomia refulsit, cujus laudes abunde exsequitur auctor libri *Miraculorum sancti Bercharii abbatis Dervensis*, quem evulgavit Joannes Mabillon sæculo II Sanctorum ordinis divi Benedicti, pagina 844. Ibi num 11: « Postmodum excedente vita domno Alberico, Adso abbas effectus, basilicam sanctorum a beato Berchario quondam exstructam parvissimam reputans, maximi templi fundamenta jecit: duas villas Drejam et alteram quæ vocatur Puellare-Monasterium incuria antecessorum amissas, cœnobio recuperavit, » etc. Scripsit *Vitam sancti Bercharii* quæ habetur Sæculo II Sanctorum ordinis D. Benedicti, pag. 831; *Gesta quoque sancti Basoli confessoris*, quæ ibidem pag. 67; *Translationem et Miracula ejusdem sancti Basoli*, quæ Sæculo IV Sanctorum ord. div. Benedicti tom. II, pag. 137; item *Vitam sancti Frodoberti abbatis primi Cellensis prope Treca*, quam habes Sæculo II Sanctorum ordinis divi Benedicti, pag. 626, cum *Historia Translationis reliquiarum ejusdem sancti Frodoardi*, Sæculo IV, istorum Sanctorum tom. II, pag. 243. Denique *Vitam Mansueti primi Tullensium episcopi*. Mortuus est Adso anno 992. De quo in præfatiis suis ad dictas legendas Joannes Mabillon.

**DE ANTICHRISTO.**(Vide inter Alcuini Opera, *Patrologiæ tom. CI, col. 1289.*)